

latarum exemplo. Nam filii Agar sunt servi, *Nos verò, inquit v. 28, fratres, secundum Isaac, promissionis Filii sumus.* Ἡμεῖς δὲ, ἀδελφοὶ, κατὰ Ἰσαὰκ, ἐπαγγελίας τέκνα ἴσμεν.

*Conseq. probatur.* Nam Ismael fuit typus omnium, quos pactio legalis, vel Jerusalem terrestris, ad servitutem generat; Isaac verò fuit typus omnium, quos pactio Evangelica, vel Jerusalem sublimis, generat filios, & hæredes ad libertatem. Nam filius Saræ, pactio Evangelica, Jerusalem sublimis, sunt *σύστιχα*, affinia, vel consentanea. Qui igitur sub lege volunt esse, vel ex lege justificari, illi sunt servi, illi sunt ex monte Sinâ, illi sunt Filii Agar, & terrestris Jerusalem; Qui verò sunt sub gratiâ, vel promissionis Evangelicæ filii, illi sunt liberi & hæredes, illi accipiunt hæreditatem cœlestem, non ex lege, sed ex Evangelio, neque ex lege & Evangelio simul, sicut Apost. docuit c. III. multis argumentis. Bona opera igitur non sunt necessaria ad salutem. Hæc est summa eorum, quæ Paulus per allegoriam probavit.

### OBJECTIO VIII.

*Nos Galatæ fideles, propter veritatis Evangelicæ agnitionem, multis afflictionibus, & acerbis persecutionibus sumus obnoxii.*  
*E. Nos Galatæ fideles non sumus secundum Isaac, vel exemplo Isaaci, promissionis Filii.*

*Antec. probatur.* Nam falsi Doctores, & ipsorum asseclæ, valde in nos sæviunt, propterea, quòd ipsis adstipulari, atque eorum doctrinam approbare, & admittere nolumus.

*Conseq. probatur.* Nam filii promissionis in cruce, & persecutionibus à Deo defenduntur; Nos autem in nostris acerbis afflictionibus, habemur pro vilissimis, & abjectissimis hominibus. Nos Deus non benignè, & paternè curat, & respicit.

*Resp. Apostolus argumentum invertendo:*

*Vos Galatæ fideles, propter agnitionem veritatis Evangelicæ, multis persecutionibus, & afflictionibus estis obnoxii.*  
*E. Vos*